MISSA

IN FESTO

S. TITI EPISCOPI ET CONFESSORIS

Introitus. *Eccli. 45.*

Statuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum.

Psalm. 131. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.

℣. Gloria Patri, etc.

ORATIO

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque Pontificem apostolicis virtutibus decorasti; ejus meritis et intercessione concede, ut juste et pie viventes in hoc sæculo, ad cœlestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum etc.

Lectio libri Sapientiæ. *Eccli. 44. 6.*

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi, qui conservavit legem Excelsi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Agnovit eum in benedictionibus suis: conservavit illi misericordiam suam, et invenit gratiam coram oculis Domini. Magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium magnum, et beatificavit illum in gloria. Fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

℣. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi: Alleluja, alleluja.

℣. *Psalm. 109.* Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Allel.

Post Septuag. omiss. Alleluja, *et ℣. seq. dicitur Tractus. Psalm. 111.* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Alleluja, alleluja.

℣. *Psalm. 109.* Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech: Alleluja.

℣. Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus: Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. cap. 10.*

In illo tempore: Designavit Dominus, et alios septuaginta duos. Et misit illo binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis; Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

SECRETA

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Communio. Lucæ 12. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

POSTCOMMUNIO

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Tito Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Alleluja, alleluja.

℣. *Psalm. 109.* Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech: Alleluja.

℣. Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus: Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
Luc. cap. 10.

In illo tempore: Designavit Dominus, et alios septuaginta duos. Et misit illo binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis; Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

SECRETA

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Communio. Lucæ 12. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

POSTCOMMUNIO

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Tito Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum.